

www.e-rara.ch

**Opera mathematica Ioannis Schoneri ... in unum volumen congesta, et
publicae utilitati studiosorum omnium, ac celebri fama Norici nominis
dicata**

Schöner, Johannes

Impressa Norinbergae, 1551

ETH-Bibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-9436>

Caput octavum- De impedimentis animae.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Conclusio quinta. Bonitate intellectus sui, optimarum quoque disciplinarum capax erit, & plurimum in inuestigatione ueri atque iusti sollicitabitur, uolet quoque ut cuique iustitia fiat. Id apparet ex ascendente, Ioue, atque Marte, iuxta regulam Prolemæ, uerbo 95. Centiloquij.

Conclusio sexta. Erit Philosophorum amator, legis seruator, intendet sapientia, & in rebus occultis cogitandus erit. Id accipitur à Marte secundo domino triplicitatis domus tertia, qui est fortis & potens à Sole receptus ex trino.

Conclusio septima. Quandam turbationem animi incidet, in qua ad auxilia armatorum confugiet, quorum opera liberabitur, probatur ex domino ascendente in septima Marti per retrogradationem applicanti, à quo tamen recipitur.

Conclusio octaua. Velocis & fortis iracundiæ uirum, saepeque ab alijs disidentem, denotat pars legis in Ariete.

Conclusio nona. Amator em quoque gaudiorum, iocorum, & lætitarum, potendit pars legis iuncta Veneri.

CAPVT OCTAVVM.

De impedimentis animæ.



IN iudicio læsionum animæ generaliter inspiciendus est Mercurius & Luna, quam conuenientiam ad inuicem habeant, & ad infortunas, tum etiam ratione locorum figuræ cœli.

Epilepticos, id est, qui morbo caduco laborant, ex quatuor causis dinoscimus.

Prima, quando Mercurius & Luna non habent aspectum ad inuicem.

Secunda, quando neque Mercurius neque Luna ascendens aspiciunt, maxime ipsi existentibus in Capricorno & Piscibus in sexta, octaua uel duodecima domo.

Tertia, si natiuitas est diurna, & quod Saturnus sit in angulo fortis, & in nocturna Mars, respicientes Mercurium & Lunam.

Quarta, si etiam Saturnus & Mars, impediunt Mercurium & Lunam, per aspectum inimicum, uel per dominium in testimonijs, hoc est, ut sint domini locorum Mercurij & Lunæ. Cum hæc prædicta quatuor in aliqua genitura reperta fuerint, talis natus patietur morbum caducum, qui à Medico non curabitur. Si uero duo aut tria ex his inuenta fuerint in aliqua genitura, poterit talis natus curari per uiscus quercinum, quod collectum fuerit, Ioue in aliqua suarum dignitatum existente. Si prædicta quatuor in aliqua natiuitate reperta fuerint, dummodo tamen aliqua fortuna Mercurium aut Lunam aspexerit, adhuc poterit liberari.

Insani & furiosi etiam ex quatuor causis dinoscuntur.

Prima, quando Mercurius & Luna non habent aspectum ad inuicem.

Secunda, quando non aspiciunt ascendens.

Tertia, si in diurna natiuitate sit Mars in angulo fortis, sed in nocturna Saturnus.

Quarta, quando Mars uel Saturnus aspiciunt Mercurium uel Lunam, uel habent dignitatem in eorum locis, Cum hæc quatuor in alicuius natiuitate inuenta fuerint, erit talis homo fatuus in omni uita sua, maxime cum infortuna in Cancro, Virgine, uel Piscibus fuerint.

Dæmoniâci etiam quatuor ex causis iudicantur.

Prima, quando Mercurius & Luna non habent aspectum ad inuicem.

Secunda, quando non aspiciunt ascendens.

Tertia, quando Luna sit ascendens sub radijs Solis, uel in eius opposito.

Quarta,

Quarta, quando Saturnus fuerit dominus coniunctionis, uel Mars dominus oppositionis, id est, ut coniunctio & oppositio fiant in eorū domibus, maxime ipsis existentibus in Sagittario uel piscibus, quoniam si prædicta quatuor loca in alicuius natiuitate ita fuerint, erit talis natus naturaliter dæmoniacus, & à nullo potest curari. Si autem contingeret, quòd duæ causæ, uel una sic inuentæ fuerint in natiuitate, erit dæmoniacus per dies, menses, uel annos, talis etenim poterit redire ad saniorē mentem.

Notandum, Si utræq; infortunæ Saturnus scilicet & Mars fuerint in hac qualitate, erunt animæ infirmitates immedicabiles, non tamen feroces, & ignorabuntur, & occultæ erunt. Si autem utræq; fortunæ Iupiter & Venus, similes eis extiterint, & utræq; infortunæ Saturnus & Mars in angulo occidentis, fortunæ uero in angulo orientis manserint, licet ferocissimas, sanabiles tamen significant ægritudines. At si Iupiter fuerit ille, qui eis assimilabitur, infirmitates medicaminibus moderabuntur, siue per dietas, siue per antidota. Si in orientali angulo infortunæ, & in occidentali fortunæ fuerint, insanabiles ac feroces erunt infirmitates, minime manifestæ.

Locus Solis & Martis, iurant ad insaniam.

Locus Iouis & Mercurij, infirmitates epilepsiæ.

Locus Veneris per prophetias, ut occulta dicantur.

Locus Saturni & Lunæ adiuuabit dæmoniacos, & humorum impedimenta.

Animæ appetitiuæ impedimenta ita colliges.

Si fuerint luminaria sola in signis masculinis, in genitura masculi, ea quæ sibi naturalia sunt operabuntur. In mulieris uero genitura sic, erunt uiriles, & ea quæ contra naturam sunt operabuntur, ut fricando se cum alia.

Si fuerint Mars & Venus, uel eorum alter masculinus, uiri in naturalibus rebus Veneris multum conuersabuntur, & ex rebus coitus turpia contra legem desiderabunt. In mulieris genitura sic positi actus cupidinis innaturales, plus æquo perpetrabunt inuicem cum alijs mulieribus.

Si Venus sola masculina fuerit, id quod perpetrabunt, erit occultum. Si autem solus Mars masculinus extiterit, erit manifestum.

Luminaria sola in foemininis signis in genitura masculi, ea quæ sibi contra naturam sunt committent cum mollicie, lasciuia, & mulierositate. Sed mulieres, ea quæ sibi naturalia sunt, operabuntur.

Sola Venus foeminina in mulieris genitura illegitimos actus uenereos exercebit, adeo quòd nulli coitum denegabit. Sed uiri sic positam sortiti Venerē, erunt effoeminati, molles, & ad innaturales actus uenereos procliuiores, sed ea occulte perpetrabunt.

Mars solus foemininus, hæc publicari significat, & ea perfici absq; uerecundia.

Veneris & Martis orientalitas in genituris masculinis, adiuuant detectionem operis ueneri. Sed eorum occidentalitas iuuat seminis occultationem. Saturnus si cum eis fuerit, iuuabit in pollutione turpi, plus alijs. Iupiter autem cum eis, dat uerecundiam. Mercurius cum eis, detegit rem & in augmento adiuuat. Hæc Ptolemæus.

Sententiæ & aphorismi aliorum.

R

Luna



Vna si non fuerit coniuncta uel irradiata à Mercurio, nec aliquis planetarum inter, eos transferat lumen, nec fuerit ascendens signum de natura Mercurij uel Lunæ, fueritq; cum hoc Saturnus in diurnis & Mars in nocturnis natiuitatibus in angulo, natus erit amens, furiosus epilepticus, fatuus, uel ad minus obliuiosus, nisi fortuna tunc fortis ascendens aspexerit, aut Mercurium, aut Lunam, & eò fortius, si angulus in quo fuerit aliquis prædictorum malorum, fuerit Cancer, Virgo, aut Pisces. Si autem fuerit ei iuncta, uel ad eum iuerit, erit sapiens.

Luna & Mercurius, si se non aspiciunt, neq; ullus eorum ascendens, & fuerit Saturnus in diurna significator qualitatis animæ in angulo, & in nocturna Mars, significat epilepsiam. Signa facientia epilepsiam sunt Sagittarius, Gemini. Eodem modo sunt amentes, quibus Saturnus est in angulo in nocturna, & Mars in diurna natiuitate, maxime uero si in Cancro, Virgine, uel Piscibus fuerit. Si cum hoc quod modo dictum est, fuerit Saturnus dominus loci Lunæ, & Luna sub radijs. Aut Mars dominus loci Lunæ, & Luna in opposito Solis, maxime autem in Sagittario aut Piscibus, significat dæmoniacos,

Mars in angulo terræ in maleuolo Solis aspectu, aut Mercurius cū Saturno, in ascendente in opposito Martis, aut Luna cum Marte in ascendente in opposito Saturni. Aut Luna & dominus ascendens cum Mercurio infortunati à Marte, aut Luna in ascendente in quadrato Saturni à medio cœli, & opposito Mercurij, aut Luna separata à Saturno & coniuncta Marti, uel separata à Marte & coniuncta Soli, Aut Mars inter Solem & Lunam in eodem signo, Aut Luna aucta lumine, infortunata à Marte in Sagittario uel Piscibus, Aut Sol in opposito ascendens in termino infortunæ ab ambabus infortunis impeditus, & non uisus à domino domus suæ, Aut Luna & Sol infortunati in sexta uel septima in eodem gradu, Aut ambæ infortunæ in ascendente in opposito Mercurij. Et in omnibus his, si fortune sint absentes, significant Lunaticos, fatuos, uel homines leuis cerebri.

Luna in decima, in signo communi opposita Marti, & Saturnus in septima, si Luna fuerit in quadrato Solis, & in matutino ortu locata, insanos facit.

Dominus octauæ, si ascendentem uel ipsius dominum male aspexerit, timor & angustia affliget natum. At si aliter aspexerit, timorem tantum injiciet nato.

Auerte oculos cum Mars fuerit angularis, maxime si Scorpius fuerit ascendens.

CAPVT NONVM.

De fortuna nati & substantia.



Fortunam ac prosperitatem nati considera ex loco partis fortunæ, & ex planetis dispositoibus, loci partis fortunæ. Cum enim locus partis fortunæ in loco conuenienti figuræ repertus fuerit, pollicetur nato magnam fortunam, maxime si luminare temporis prædictum locum aspexerit, aut si prædictus locus in partibus fortunarum repertus fuerit radiationibus eorum fortificatus.

Gubernatores etiam partis fortunæ diligenti ratione inuestiga, quam uim obtineant, & quomodo in figura ponantur, scilicet an sint in signis propriæ naturæ uel alienæ. Si enim dispositores partis fortunæ fuerint in loco conuenienti, fortes non impediti, in proprijs domicilijs aut exaltationibus constituti, maxime si etiam luminaria eis testificentur ratione similitudinis, aut aspiciant benigno aspectu genitorem admodum foelicem, & nato multas diuitias decernit.

Saturnus